









1739

1. Alberti, Michael: *Dissertatio in any theologiae medica, concernente Libionem heroyos. medicam in for. Canonice. Decret. P. III. 1c Conserv. Distinct. V. C. 21. . . exhibeo.*
2. Alberti, Michael: *De colica haemorrhoidali in passionem Hiscam inclinante*
3. Baumgarten, Lijom. Tac.: *Descriptio sacra.*
4. Baumgarten, Lijom. Tacitus: *Dissertatio moralis gratia bonorum operum et virtutis generatione sistens.*
- 5<sup>ta</sup> = Baumgarten, Lijom. Tac.: *De polygamia simultanea illegitima, inpositius etiam ex numero hominum utriusque sexus in tellure fore aequali.* 2 Sept 1739  
17748
- 6<sup>ta</sup> = Bachmann, Iohes Henricus: *Exceptione praecardiali. ejusque usq; in causis criminalibus.*

1. Carrach, Joannes Tabius : De principiis differentiis iuris  
Romani et Germanici in compensatione

1

8<sup>a. t.</sup> Carrach, Joannes Tabius : De differentiis iuris Romani  
et Germanici in mortis causa donatione

16

9. Gasserus, Simon Petrus : De periculosa paena homicidii

17.

10. Gasserus, Simon Petrus : De origine querelae insufficiens  
occas. 1. 2 d. de inaff. test.

11. Frickerus, Joannes : De morbis spasmico-convulsivis  
med. Tabliones nonnullas sistens

18

12. Frickerus, Joannes : De cacoecymia discreta et locu.  
Tabo sensu acceptanda.

19.


13. Frickerus, Joannes : De zackhtide. Von der Englischen  
Zackheit.

20.

14. Frickerus, Joannes : De haemorrhagia naturalibus genera.  
fir consideratio

15. Novius, Cas. Gallus: De recto dilationum usu.
16. Michaelis, Christianus Benedictus: Dissertationis iuris  
philologica, qua solacissimus generis ab syntaxi  
sacri coruscis etrui repellitur.
17. Michaelis, Christianus Benedictus: Dissertationis phil.  
iuris, qua solacissimus casuum ab etiis sacri  
cordis repellitur, publico crustorum examini sub-  
iectus.
18. Profe, Gottfridus: De affectibus.
19. Schulze, Joannes Heursus: De morbis ab excessu  
mobium corporis.
20. Stiebig, Iam. Fidus: Reminiscitiae Gestiones von  
sor philosophiae celestica.
21. Hisenius, Io. Galli: [Io]n. Georgij Salpicij, &c.  
de studio juris publici reale instituendo et de scriptoribus

co portinerib[us] b[ea]tissimis  
dissertatio. Accedit q[ui]am de  
studis academicis i[n]venis nobilis recte instituer[et]  
dis ep[ist]ola.



COLIC-FRITHIOFARHOLDATI

HANDBUCH DER HISTORISCHE

GESCHICHTE VON

DEUTSCHLAND UND

WIRTSCHAFTS

GESCHICHTE

IN EINER

REIHE VON

ZEITUNGEN

UND

ZEITSCHRIFTEN

IN EINER

REIHE VON

ZEITUNGEN

UND

ZEITSCHRIFTEN

IN EINER

REIHE VON

ZEITUNGEN

UND

ZEITSCHRIFTEN

IN EINER

REIHE VON

ZEITUNGEN



TE TU  
DOMINO  
VIRIS  
EXCELLENTISSIMIS,  
CONSULTISSIMO ET EXPERIEN-  
TISSIMO,  
DOMINO  
**POLYCARPO FRIDE-  
RICO LEYSERO,**

RERUM BELLICARUM ET DOMANIALIUM CONSI-  
LIARIO, ET CONSISTORII MAGDEBURGICI  
ASSESSORI,

*PATRONO, FAUTORI ET AFFINI  
ÆTERNUM COLENDO,*

UT ET  
DOMINO  
CHRISTIANO SIGIS-  
MUNDO RICHTER,

MED. DOCT. SERENISS. PRINCIPIS ANHALT.  
COETHENSIS CONSILARIO AULICO ET ARCHIA-  
TRO PRIMARIO CELEBERRIMO,

PATRONO ET FAUTORI  
OMNI HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

HOC SPECIMEN INAUGURALE,

IN ANIMI DEDITISSIMI TESSERAM  
HUMILITER OFFERT,

INCLYTISQUE NOMINIBUS INSCRIBIT

A U C T O R.



B. L. S.



Um de materia, speciminis inaugu-  
ralis loco elaboranda meditor, of-  
fertur mihi gravissimus fere pas-  
sionis iliacaæ affeetus, in quem colicæ  
hæmorrhoidalis facile transfi-  
bat. Tam hujus quam illius pa-  
roxismis interfui, observationes  
præcipuas consignavi, & concur-  
rentes hos in uno subiecto morbos in præsenti hac tra-  
statione exponere constitui. Præmitto itaque in capite  
primo Pathologiam colicæ hæmorrhoidalis, ita quidem,  
ut præmittatur definitio, cuius quatuor momenta ordi-  
nem ac filium sequentis træstationis constituunt. Pri-  
mum molimen scilicet spasticum hæmorrhagicum, ex-  
plicatur a IV. ad IX. ex indole & natura negotii hæmor-  
rhagici, in statu naturali constituti. Alterum, sive sedis  
morbi consideratio, exponitur in §.X-XII. Tertiæ & quar-  
ti denique deductionem continet §.XIII. Hanc generalio-  
rem træstationem, sequitur specialior differentiarum hu-  
jus colicæ ab aliis affeetibus intestinorum spasticis expli-  
cacio

catio a §. XIV-XVIII. huic subjungitur §. XIX. demonstratio, affectum hunc revera existere docens, & §. XX-XXIII. paroxismi historice describuntur & symptomatum explicatio subjungitur. §. denique XXIV. transitus formatur ad passionem iliacam ex hac colica oriundam. Caput secundum Pathologiam Passionis iliacæ, cum restrictione ad casum præsentem sistit, servato ordine, quem definitionis momenta suppeditant. Præmittitur §. III. & IV. generalior historia de statu herniofo, in quem subiectum, de quo mihi sermo est, conjiebatur, tanquam passionis iliacæ subsecutæ fundamento. §. V. sedem morbi & §. VI. cauſam materialem expoit. §. VII. & VIII. rationem formalem Passionis iliacæ explicat. His subjungitur §. IX. & X. historia paroxismi, cum symptomatum atiologica deduictione. Caput denique tertium in sectione priori a §. I-III. therapiam colicæ hæmorrhoidalis generalem & §. IV. specialem sistit, in §. autem V-X. exponitur medicatio præservatoria, admixtis cautelis & observationibus practicis. Idem ordo servatur in sectione posteriori de therapia passionis iliacæ, ita ut §. I-II. regulæ generaliores & specialiores, §. III. methodus medendi præservatoria, & §. IV. cautelæ & observations quædam exponantur. Habes itaque B. L. brevissimam hujus tractationis synopsin, me autem Tibi commendatum.

CAPUT

¶ ( 5 ) ¶

## CAPUT PRIMUM

*De*

### *Colica hæmorrhoidalii.*

§. I.

**C**olica hæmorrhoidalis est molimen spasticum, ad venam hæmorrhoidalem internam præcipue ortum habens, & sanguinis ventilationem in hac vena respiciens.

§. II.

Causam hujus affectus formalem exhibent molimina spastica. Sedes est circa venam hæmorrhoidalem internam eum intestinis colo & recto. Huic enim circa finem inseritur, illi vero ad latera posita est haec vena. Causa materialis est sanguis hæmorrhoidalis in hisce locis justo spissior. Causa denique finalis, est respectus tollendi spissitudinem & inde pendentes effectus, nec non promotionis excretionis hæmorrhagice, per loca ei destinata obtinendi.

§. III.

Quatuor hic consideranda veniunt momenta, quæ accuratius pensata, genuinam suppeditabunt indolem ac differentiam ab omnibus aliis colicarum speciebus, quam præstabilidam esse censeo, quia omnino haec colica hæmorrhoidalis multa communia habet & similia, cum aliis canalis intestinalium affectibus colicis & spasticis, in primis qui sanguinis negotio in moliminibus hæmorrhoidibus ad vasa externa, & in malo hypochondriaco-hysterico dicata sunt, ita, ut diagnosis perspicua differentiarum neglectu, vix locum habeat.

A 3

§. IV.

§. IV.

Primum momentum nobis sifit notionem moliminiſ ſpaſtici. In genere denotat molimen, conamen aliquod, negoria per viam ordinariam tranquille & fine impetu perficiendi, intercedente autem quodam impedimento, vi & adauētis viribus cum majore contentione ad finem perducendi. In ſpecie autem, cum applicatione ad præſens ne-gotium hæmorrhagicum, veniunt hoc nomine motus hæmorrhagiī vagi, impetuosi, tumultuarii & nullo ſincere & ordinata excretionis ſuccesſu gaudentes, cuius rei oppoſitum habemus in congeſtionibus hæmorrhagiciſ completiſ dictis, quia harum ope ſanguis fine tumultu ad loca, hæmor-rhagiī naturalibus ſatis apta aut patentia, in finem hæmor-rhagicum dirigitur, & quas legitima excretio ſequi ſolet.

§. V.

Notum enim eſt varias hæmorrhagiārum naturalium ſpecies actiua direktione ad & per loca destinata absolvi. Ubi cunque itaque hæc direktione fine tumultu ad & per loca destinata ad finem ſuum pervenit, ſeu ordinata excretione ſtipata eſt, ibidem habemus congeſtionem comple-tam & hæmorrhagiā naturalēm.

§. VI.

Tria hic posco requiſita, ab hæmorrhagiis naturali-bus bene ſuccedentibus non separanda, a) morus ſciliect ad loca, ſeu derivationem ſanguinis ex aliis partibus, & direktionem ſeu congeſtionem ad loca hæmorrhagiis na-turalibus dicata, b) morus per loca, ſeu excretionem ſan-guinis collecti per oscula vaforum aperta, & denique c) placidam horum motuum fine moleſtia ac tumultu admi-niſtrationem, quam quotidie in omnibus hæmorrhagiārum naturalium ſpeciebus obſervare licet.

§. VII.

## §. VII.

Varias autem habemus caussas impeditentes, quo minus haec directiones haemorrhagicae per alterum requisitum, §. VI. motus scilicet, sive exitum per loca, complementum suum assuequi possint; hinc remanet nihilo minus, licet finis non succedat, intentio negotium prosequendi, & tertium requisitum, motus scilicet ad locum hucusque placidi, dirigentes, intervenientibus impedimentis mutantur in contentiosa conamina excretionem vi impetrandi, & partim in molimina impedimenta tollendi.

## §. VIII.

Inter caussas directionum successum impeditentes, haud ultimum haber locum spissitudo sanguinis, seu consistentia ejus justo crassior. Haec in specie in subjectis vitam sedentariam, litterariam & respective otiosam agentibus, occupat sanguinem, quem vasa viscerum abdominalium continent & a) ipsum sanguinem ad excretiones subeundas ineptum reddit; quippe qui fluidus & tenuis esse debet, & b) motus ad locum non solum non tollit, sed & difficiliores reddit. Sanguis enim justo spissior hinc indelictius progrediens, directionibus obicem porit, unde loco simplicis congestionis haemorrhagiae, oriuntur conamina impedimenti remotionem respicientia. Haec autem, quia jam non directe haemorrhagiam promovere possunt, & per motum auctiorem cum misu fortiori instittuuntur, molimini nomen gerunt, & quia eminus & a longinquuo incipiendo, hinc inde a justo directionum ordine recedunt, & varia inducunt incommoda, ad negotium haemorrhagicum proprie haud pertinentia, vaga dicuntur: hinc liquet, quomodo, quae placide antea fuere conge-

congestiones, jam abire cogantur in impetuosa, tumultuaria & molesta conamina, sive molimina. Immo haec sanguinis spissitudo, licet antea non adfuere veræ hæmorrhagia, sepius est causa impellens ad suscipienda molimina ad loca, quo minus stagnationes, infarctus, obstructions, stases & alia his subsequentia, ortum nancisci queant.

## §. IX.

Quemadmodum autem congestiones simplices cum hæmorrhagiis subsequentibus naturalibus, ope strictraturam tonicarum vix sensibilium, multo minus molestias creantium, placide absolvuntur, sic e contrario ipsa haec molimina, ratione indolis pertinent ad motuum spasmodicorum genus. De horum autem effectu in vasa & sanguinem ipsum, sequentem mihi formo actionis & effectus modum & rationem. Sanguis justo consistenter, hinc inde per vasorum anfractuosas & tortuosas curvaturas lenius progreditur, & vasa distendit, quæ sic in hac regione dilatata & ampliora facta, in alia coarctentur & comprimitur. Hæc vero, quæ passim incipiunt, minime ad perficiendum opus sufficiunt, sed mox accedit activa stricatura, quæ loca distensa, ampliata, ex utroque autem latere contracta, & sanguinem retinentia, in alterutro urget, & fortiore nisu successive in spasmus adaucta, cruentrem subsistentem exprimit, quem procedere coactum, & ex hac regione in aliam relegatum, spasmus sequitur, ne ibidem denuo haeret, & accumulatus noxam creet. §. VIII. Hinc pater, cur non in uno loco tantum hi motus contentiosi subsistant, sed in pluribus unius venæ longioris tractu partibus exerceantur, nec non, quomodo & aliæ partes,

partes, ope vasorum communicantium in consensum trahantur. Cum autem cuilibet sentiendi libertas in doctrinis relicta sit, de causa spasmorum efficiente arripio B. STAHLII sententiam. In primis vero mihi arridet hypothesis Dr. D. Lic. JUNII, in Cap. I. §. IX. dissertationis inauguralis, de morbis spasmodico convulsivis. De hac re autem diffusam exponere deductionem haud necessarium duco, cum id ab auctoribus laudatis jam factum sit.

## §. X.

His de primo momento seu de causa formaliter expotitis, alterum meditationi sese offert, sedes scilicet morbi, sive locus ille, ad quem haec molimina spastica tendunt, in quo exercentur, & a quo molimum hæmorrhoidalium nomen accipiunt. Directiones & congestiones ordinatæ hæmorrhoidibus bene succedentibus, abeunt ad venæ hujus nominis partem, qua in intestino recto finitur, & eadem haec pars est locus ille per quem sanguis exitum habere debet, denegato vel suppresso autem hoc, reliquus ejusdem tractus intestino colo adjacens exponitur spasticis contentionibus; hinc intestinum colon & rectum in consensum trahuntur, unde etiam haec molimina colicæ nomen gerunt.

## §. XI.

In speciali sedis morbi consideratione, pars venæ hæmorrhoidalis, in qua sanguis ob anfractuosas & tortuosas curvaturas in spissitudinem facilime abit, est illa, quæ intestino recto & præcipue colo quoad maximam partem annexa est. Statim enim sub ortu, quem pro subjectorum diversitate vel in ipso venæ portæ trunco, vel in ramo mesenterico haberet, dividitur in ramum ascendentem,

B

qui

qui abit ad flexuram coli superiorum, sub hepate & ventriculo decurrentem; qui tractus simul quamplurimis ramificationibus ex lateribus ipsius venæ oriundis, comprehenditur; & in ramum descendenter, qui comitatur partemcoli per latus sinistrum ad intestinum rectum abeuntem, missis simul ramulis ad latera vesicæ, & ope anastomoseos etiam ad venam haemorrhoidalem externam. Suppediant hanc descriptionem Clariſſ. WINSLOW dans l' *Exposition anatomique, traite des veines, pag. 135;* & SALTMANUS in *dissertatione de vena portæ.*

## §. XII.

Ex his liquet ubi locorum sit theatrum hujus affectus & sedes mali præcipua, videlicet ad venam haemorrhoidalem internam; in hac autem strictræ & spastiſtientes dupli ratione partes adjacentes in consensum trahunt. Partim enim tunicae canalis intestinalium nerveæ & musculose simul ad- & constringuntur; partim etiam viscera adjacentia ob vasorum sanguiferorum nexus afficiuntur, ita, ut mox dolores se extendant per omnem abdominis regionem, altiusque penetrant ad venam portæ tanquam finum, ad quem ipsa vena haemorrhoidalis sanguinem suum reducit, & fontem ex quo sanguis haemorrhoidalis hauritur. Quemadmodum enim directiones placidæ sanguinem deferunt ad venæ exitum, sic molimina eundem hinc inde obhærescentem, & ad sinceras excretiones ob spissitudinem ineptum, redire cogunt ad finum & vasā cum hoc communicantia. Colicæ itaque nomen gerit hoc malum a genere colicarum seu affectuum intestinalium spasticorum, & haemorrhoidalis vocatur, quia est affectus mere sanguineus & negotio haemorrhoidalium unice dicatus, unde

de & a non nullis colica sanguinea vocatur. Hoc enim est præcipuum illud momentum, per quod ab omnibus aliis intestinorum affectibus spasticis distinguitur.

## §. XIII.

Tertium definitionis momentum offert caussam materialem, meditationi subjiciendam. Hæc est ipse sanguis, qui in omni negotio hæmorrhagico vel quantitate simpli ci hæmorrhagias subit naturales, ordinatas & bene succedentes, nisi aliae advenientes caussæ impedimento sint, vel qualitate, imprimis vero spissitudine sua moliminum caussa est materialis. Spissitudinem autem sanguinis & humorum sibi conciliant subiecta vitam sedentariam & litterariam agentia, & simul pro ordinario vietu, crudioribus, quam ætatis ratio postulat, cibis, & potu utuntur ad attenuandos humores inepto; præcipue vero quando præter meditationes litterarias quotidianas, ærumnæ animique parhemara accedunt. Hæc enim mirum in modum circulum sanguinis & humorum cum negotio secretionum & excretionum turbant, unde sanguis successu temporis a justa fluiditatis consistentia abit in spissiorem. Hic sanguis spissior redditus præprimis in subjectis modo nominatis, in vasis viscerum abdominalium stagnationes subit, & molimina inducit spastica, quæ ubicunque exirūt quærunt, & ut plurimum ad vasa tendunt hæmorrhoidalia vel externa vel interna, quorum illa, quia sunt minutiora & angustiora ordinataam non admittunt congestionem & excretionem, hæc autem, quia ipse sanguis spissitudine sua per se ineptus est ad subeundas hæmorrhagias, & jam induxit molimina tumultuaria, sub quibus negotium hæmorrhagicum ordinatum haud habere potest successum. Sed

B 2

quia

quia ex jam præmissis, quænam sit tertii & quarti momentorum definitionis ratio patet, jam de differentiis disserendum erit.

§. XIV.

Jam accedo ad explicationem differentiarum quæ sunt colicam inter hæmorrhoidalem & alios canalis intestinorum affectus spasticos & colicos. Primum hic locum merentur molimina hæmorrhoidalia externa seu cœca dicta, & interna. Hæc molimina convenientiunt a) ratione caussæ formalis, b) caussæ materialis & c) ratione caussæ finalis; differentia autem fundatur vasorum diversitate, quorum interna cum vena portæ externa vero per ramum venæ iliacæ internea cum cava communicant. Molimina ad vasā interna anteriora magis adeunt abdominis visceræ, quorum vasa sanguifera cum vena portæ communicant, cf. ea quæ §. XII. de sede hujus affectus dicta sunt. Externæ ob vasā minutiora & angustiora, quorum ostiola in ipsam intestini recti faciem interiore non patent, se magis per vesiculares protuberantias & inflammatorios tumores circa ani orificium exerunt, nec non e longinquofe extendentia dorsum, coxendices & femora torminibus suis exercent, & aliquando ad renes excurrunt, tanquam cum vena cava potius communicantes. Hinc liquet colicam nostram ad interna pertinere molimina.

§. XV.

Nec silentio prætereunda est differentia hujus colicæ a malo hypochondriaco-hysterico. Convenient quidem in eo, quod sanguinis negotium in utroque princeps causâ sit, causa formalis eadem, motus scilicet seu molimina spastica, sedes autem morbi cum intentione finali diffundunt.

runt. Hæc enim in malo hypochondriaco respicit spissitudinis & stagnationum portentosas consequentias, harumque sublationem, in nostra vero colica excretio hæmorrhagica simul intenditur. Sedes in malo illo est hepar cum abdominis visceribus interioribus, quorum vasa sanguifera connexionem habent cum vena portæ, & hæc, quia non æque ac vena hæmorrhoidalis negotio hæmorrhagico locum dant, spasmodis eo acerbioribus exercentur: in colica vero nostra respicitur sanguis hæmorrhoidalis solum, unde & vena hujus nominis & intestina cui illa annexa est, præcipue sub paroxysmis aggrediuntur. Nec illud momentum silentio prætereundum esse censeo, quod hac colica corripiantur subiecta, quæ mali hypochondriaci cruciatibus revera per omnem vitam, licet summe sedentariam, nunquam exposita, multi etiam hypochondriaci hæc molimina hæmorrhoidalia nunquam experta fuere. Præterea nec tam compluribus hic affectus comittatur symptomatis quam ille, in primis vero hic flatulentia, capitis dolores, cordis palpitatio & ruetus desunt, quæ symptomata malo hypochondriaco propria sunt. Hinc colligo; si malum hoc sine illo, & vice versa illud si ne hoc & esse potest, & re vera esse observatur, ipsa omnino revera differre.

## §. XVI.

Habemus etiam, uti supra §. IV. monui, alias colicarum species, seu affectus intestinorum spasticos, quorum tamen signa diagnostica probe sunt examinanda, an scilicet in nostra hac colica etiam occurrant, vel desint, vel alia ratione explicanda sint. Sic in colica biliosa, saepius ab affectu animi iracuidæ oriunda, effusa bilis canalem in-

B 3

testi-

testinorum aggreditur, ac diris sane torminibus infestat; sed dolor hic est potius acer ac rodens, quem sequuntur dejectiones biliosæ anotericæ vel catotericæ, sub quibus acrimonia biliosa arrodens stiulum creat alvum depo-nendi, tenesmo hæmorrhoidalim similem; in nostro autem affectu, etiam haud raro ex iracundia & aliis animi affectibus inducto, nulla præsto est materia acris, rodens & stimulans, nec dejectiones alvinæ subsequentes, ullam ostendunt bilem aut aliam materiam acrem; sed hoc præcipue symptoma, conatus scilicet alvum deponendi, quem tenesimus hæmorrhoidalem vocamus, alia ratione expli-candum est, cuius rei deductio mox erit subjungenda.

## §. XVII.

Sic etiam, quomodo differat colica flatulenta ab hæ-morrhoidal, facile liquet. Illa enim sub distensione intestinorum & abdominalis, ructibus & borborigmis flatuum præsentiam indicat, quorum signorum in hac nullum ad-est. Abdomen enim suppressum potius quam inflatum ob-servatur, & flatus, si occurunt, non sunt magni mo-menti, & demum sub obstruktione pertinaci generantur. Immo omnis paroxysmus sœpius sine ullis flatibus decur-rit.

## §. XVIII.

Cum nephrite quidem hæc colica communia haber, pertinacem alvi obstruktionem, spastica viscerum abdo-minis affectionem, & vomitoriam ventriculi subversio-nem, nec non difficilem & dolorificam urinae missionem. Desunt nihilominus tamen & dolor in alterutra renum re-gione, & filamenta mucosa in urina conspicua. Præ aliis autem ascarides in intestinis harentes, vomitus, tormina in

in intestinis, nec non stimulum & conatum alvum depo-  
nendi, tenesmo hæmorrhoidalim similem creant; quorum  
autem præsentiam dejectiones alvinæ docent, sub quibus  
haud raro una evacuantur. Desunt præterea & reliqua  
signa, vermium præsentiam indicantia, inter quæ sunt,  
frequentior salivæ in os effusio, appetitus tumultuarius,  
modo deficiens, modo nimius, fitis jejuna, & alia. Diffe-  
rentiam hujus colicæ a morbo ileo, & qua ratione hic ali-  
quando sub illa orrum habere possit, in sequentis capitatis  
tractatione explicabo.

## §. XIX.

Jam tentabo, quomodo comprobare possim, hanc  
colicam revera esse secundum definitionem, molimen hæ-  
morrhoidale, idque sequentibus momentis. (a) Differt  
hæc colica, uti §. antecedentes, XIV. XV. XVI. XVII.  
XVIII. docent, ab omnibus aliis affectibus intestinorum  
spasticis & colicis, vel loco, vel causâ materiali, vel aliis  
supra memoratis rationibus: hinc concludo illam ex alia,  
sibique propria causâ deducendam esse. (b) Ex sede  
morbi, moliminum quibus absolvitur successu, & alterna-  
tione cum aliis hæmorrhagiis, quas excipere solent, nec  
non ex observatione, quod hoc affectu ejusmodi corri-  
piantur subjecta, quæ ob temperamenti rationem hæmor-  
rhagica sunt, concludo, hæcce molimina esse sanguinea,  
seu negotio hæmorrhagico, in hac ipsa, vel aliis regionibus,  
quocunque modo impedito, dicata. Confert  
ad hæc observatio, quod aliquando subjecta, huic colicæ  
exposita, licet sint ærate profectiora, immo ad fenes re-  
ferenda, hæmorrhagias experiantur narium, qua largio-  
res molimina ad tempus tollunt, laborem sanguineum &  
hæ-

hæmorrhagicum esse indicantes. (c) Hæc colica in nulla alia affigit ætate, quam negotio hæmorrhoidali respondent. (d) In speciali consideratione, nulla alia exponuntur huic colicæ subjecta, quam hæmorrhoidaria, id est, quæ antea vel hæmorrhoidum fluxum ordinatum, ejusque suppressionem, vel motus faltem ad vasa hæmorrhoidalia externa experta fuere. (e) Respondere & alternare observatur hic affectus cum moliminiibus ad vasa externa, ita, ut sub uno eodemque paroxysmo hi transiant in illam, & hæc illos excipiat. (f) Non penitus cessat, nisi successu hæmorrhoidum ordinato. Evenientibus enim hæmorrhagiis, tolluntur molimina. (g) Tenesmus hæmorrhoidalis frequens in hoc affectu, a nulla alia caussa deduci potest, quam a tentamine expressionis in exitu venæ hæmorrhoidalis, de qua re sub explicacione symptomatum agere constitui. Hæc momenta conjunctim consideranda, molimina, de quibus in præsenti mihi sermo est, in specie esse negotio hæmorrhoidali in vena hujus nominis interna dicata, seu colicam hæmorrhoidalem revera existere evincunt, quibus alia adhuc addere possent, sed remitto benevolum Lectorem in primis ad ea, quæ Illustris Academiae hujus Senior, FRIDERICUS HOFFMANNUS, in *Systemat. Medic. rational. tom. quarti parte secunda, Sectione secunda cap. V. pag. 323.* & D. PRÆSES, in *Dissertatione de Colica hæmorrhoidalí* docent.

## §. XX.

Jam accedo ad paroxysmorum historicam descriptionem, subjuncta simul symptomatum explicatione, & omissis, quæ tractationem nimis diffusam reddere possunt.

Initi-

Initium itaque belli facit alvi adstrictio, a strictura in venæ hæmorrhoidalis internæ exitu, qua per consensum in intestino recto incipiente, & sensim venæ tractum prosequente, membranæ coli una afficiuntur. Hi motus omni jure dicendi sunt præparatorii ad instantem contentiosum laborem. Spasmus enim præcedere solet simplex stritura, quæ pro re nata magis magisque adaucta, tandem in spasmus transit. Hæc itaque stritura incipiens, nullo dolore exquisito patienti molestias creat, præter dene-gatam alvi depositionem, & inde pendentem sensum obscurum gravantem, qui etiam non semper adest, intestinis multis scybalis non repletis. Tandem successu temporis hæc stritura altiora venæ & coli loca petit, ibique, quia impedimenta sanguinis spissioris occurunt, in spasmos transit, qui anum fortiter claudunt, motuque peristaltico versus superiora, obviam eundo, turbas faciunt, & hinc inde varia tormenta creant, modo, quem supra §. IX. exposui, & mox rotum hujus intestini canalem, constringendo, tendendo, & ex uno loco in aliud quasi desiliendo, occupant.

### §. XXI.

Inter has motuum spasticorum contentiones, sanguis in venæ tractu hinc inde hærens, exprimitur & ex uno in aliud diverticulum propellitur; exitum autem nullibi invenit, spasmis diversis in locis vasa constringentibus; hinc ad venæ hæmorrhoidalis finem in intestinum rectum relegatus, ibidemque accumulatus, venam urgendo, distendendo & premendo, quod saepius in paroxysmis cum summa ægrotantium molestia fieri observatur, tenesnum excitat hæmorrhoidalem, seu expressionis co-

C namen

namen, §. XVI. quod autem nec sequitur scybalorum dejectio, nec sanguinis hæmorrhoidalis excretio, quia & renis stricturæ, sub ipso hoc tenesmo in intestino recto se exerens, & spasmi colon excententes, impedimento sunt. Immo saepius tenesmum excipiunt motus ad superiora, sive inversiones motus peristaltici, & conatus ad vomitum.

## §. XXII.

Inter haec observantur alternantes cum tenesmo in intestino recto, conatus dolorifici ad urinæ excretionem, a strictura in ipsa vesica urinaria præsente, & e vasorum sanguiferorum consensu derivanda. Vena enim hæmorrhoidalis interna, ramos mittit ad latera vesica, & prope hanc regionem, ex qua dictæ ramifications excurrunt, connectitur etiam cum vena hæmorrhoidali externa ope anastomosæ, docente Clar. WINSLOW l. c. Hi spasmi, qui etiam extra colicæ paroxysmos subjecta hæmorrhoidaria turbant, & urinæ excretionem difficultem & dolorificam reddunt, quia simile aliquod habent cum affectibus calculosis, §. XVIII. a quibusdam auctoribus hæmorrhoides vocantur vesicæ, calculum mentientes. Ex hoc vasorum nexus liquet etiam, cur mirandum non sit, quod molimina in colica nostra vaga & tumultuaria, mox abeant ad vas externa, sub qua alternatione haud una vice tornina ipsius colicæ interna quiescere, observare licuit. §. XIX. litt. (e) Sed hoc momentum, quia peculiarem meretur attentionem, in tractatione hujus affectus therapeutica paucis adhuc ventilandum erit.

## §. XXIII.

Aliquando motus contentiosi altius penetrant *versus ipsam*

ipsam portæ venam, §. XII. in primis, si affectus commotionem sanguinis orgasticam pro causa occasionali habuit, sub quo motuum progressu propagines portæ ad intestina reliqua abeuntes, simul afficiuntur, & ipsi subinde intestinorum tenuium canales in consensum trahuntur, motus peristalticus turbatur, & ad ipsius ventriculi vomitoriam subversionem usque invertitur, modo, quem capite sequente exponere constitui, ubi iterum observare licuit, quod, quando motus hac ratione altiora viscera & ipsam portæ venam petunt, tenesmus venam haemorrhoidalem urgens ad tempus quiescat, donec sanguis de novo, nullibi exitum inveniens, majore quam antea factum fuerat impetu ac insulso propellatur ad exitum hujus venæ, & quando in hac regione spasmi reassumuntur, tunc tumultus circa venam portæ quiescit & remittit. Sitis interea patientes haud adeo urget, nihil minus tamen plus quam poro assutum fuerat humoris sub vomitibus accedentibus redditur, qui aquæ instar tenuis ac limpidus sine dubio sub spasmis per intestinorum glandulas secernitur & deponitur, & denegato per alvum exitu, per os rejicitur.

#### §. XXIV.

Hi vomitus non accidunt colicæ, nisi affectus per longius temporis intervallum duraverit, & motus, uti §. antecedente monui, altiora penetraverint, & si non frequentius recurrentes mox subsistunt, non adeo pertinacienti fiant, sin minus, & quando in consuetudinem abire observantur, & strictura anum fortior arctiorem reddit, ita, ut cannulam clysteris admittere recusat, tunc sane majorem merentur considerationem, malique sunt

ominis. Præcipue autem hoc fieri observatur, quando intestina scybalis repleta invaduntur hac colica. Ex colo enim sub stricturna & inversionibus motus peristaltici scæces reprimituntur, in quo hærentes, ob gyros & anfractus, in quos hic canalis circumvolvitur, in unum locum comprimuntur, & ibidem impastæ indurationis initium faciunt, hinc fortiorē tensionē inducunt; unde denuo majorem motus peristaltici versus superiora impetum, & vomitum sub hoc statu frequentiorem & vix compescendum remediis internis, imminentis passionis iliaca ex induratione scybalorum, signa esse judico. Sic anomaliae anomaliis motuum seu moliminibus accedentes, statum ipsius colicæ hæmorrhoidalis turbant, & jam latius se diffundentes, affectui pericula haud levioris momenti afferrunt, & sic morbo per se haud lethali, succedit alius gravissimus sane & pertinacissimus, ileus scilicet, quem Hippocrates merito hæmatiten appellat, utpote ex affectu sanguineo & ut in sequentis capitï tractatione explicabitur, in præsenti casu sub colica hæmorrhoidalì oriundum.

## CAPUT SECUNDUM

*D*e*Passione iliaca sub statu bernioso ex  
Colica hæmorrhoidalì.*

## §. I.

**P**assio iliaca, seu misere mei, est motus peristaltici statutus præternaturalis, positus in acutissima & fortissima ejusdem inversione, ab impedito versus inferiora progressu, ortum habente, & ut plurimum cum rejectio-

ne

ne scybalorum per os conjuncta. Passionis iliacæ nomen  
habet *απὸ τῆς εἰλαῖνης* vertere, volvere, & miserere mei vo-  
catur ab illo gravissimo sane symptomate, rejectionis sci-  
licet fecum alvinarum per os.

## §. II.

In generali hujus affectus consideratione tria haec de-  
finitio nobis sicut membra seu momenta, ulteriori medita-  
tioni & explicationi subjicienda, sedem scilicet morbi,  
causam materialem, & rationem ejusdem formalem, ubi  
simil in tractationis specialis principio monendum esse  
censeo, me velle omnem hanc expositionem restrictam  
esse ad casum peculiarem, mox describendum. Haud e-  
nim singulas passionis iliacæ species, sed illam tantum, sub  
constitutione herniosa & ex impactione & induratione  
scybalorum oriundam exponere constitui. Casum hunc  
singularem cum historia morbi statim præmitto, huic hi-  
storicæ enarrationi subjungo affectus explicationem secun-  
dum prædicta momenta, tandem addo & symptomatum  
rationem.

## §. III.

Vir fere septuagenarius, vitam sedentariam & litte-  
rariam a juventute ad canitatem usque agens, filum labo-  
rum & cœptorum nullo morbo, nec quidem malo hypo-  
chondriaco, ejusmodi subjectis alias quasi proprio, inter-  
ruptente, nisi quod in media annorum serie animi motus  
& ærumnæ frequentiores vertiginem & narium tumultua-  
rias tantum aliquando evenientes haemorrhagias produce-  
rent, quæ vero motuum turbæ venæ Sectionibus & blan-  
dis alvi solutionibus a capite derivabantur, ita ut tandem  
evanescebant, donec interjecto aliquot annorum spatio

recurrentes mox transire viderentur in conamina hæmorrhoidalia, & quidem ad vasa externa excurrentia, & per protuberantias suas vesiculares vitam sedentariam admotum molestam reddentia. Exitu autem hisce in locis haud succedente, murabantur successu temporis in molimina ad vasa interna. Sed & hic sanguis, ob vitæ generis rationem justo consistentior, excretionem ordinatam, & pro scopo hæmorrhagico sufficientem subire denegabat; hinc motus nihilo minus tamen in vena hæmorrhoidalis internæ tractum sœvientes, colicam formabant hæmorrhoidalem, cuius cruciatibus sp̄iepius defatigabatur & cuius paroxysmum in capitib⁹ præcedentib⁹ sph⁹is XX-XXIV. describendum curavī. Hoc malum, exhibitis sanguinem attenuantibus & blande resolventibus, interpositis venæ sectionibus mitescere cogebatur, donec ob indefessam laborum continuationem, caussæ sp̄issitudini humorum faventes, medicamentorum virtutem superarent, & colicam hæmorrhoidalem revocarent.

#### §. IV.

Sub hoc rerum statu accedebat ex casu fortuito annuli in inguine sinistri lateris dilatario, ita, ut intestinis pateret locus limites naturales transgrediendi, & tumorem, quem herniosum vocant, formandi. Hic tumor per se nullas crebat molestias, nec ovi gallinacei superabat magnitudinem, & raro apparebat, licet instrumentum illud, quo retentionem obtinemus, & quod brachiarium vocant chirurgi, non applicaretur. Sub hac rerum conditione, colica hæmorrhoidalis, quæ simplex antea fuerat, jam interdum sub paroxysmis complicabatur cum incarceratione partis cuiusdam intestinorum herniosa, ita tamen, ut non statim initio

initio colicæ illa sub specie rumoris prodire cogeretur, quod fieri tantum observabatur, repletis intestinis fæcibus, ubi simul, qui antea sub paroxysmis colicæ rariores & mitiores observabantur, jam accedebant motus vomitorii & frequentiores & impetuosiores, & ipsa colica simplex, quæ antea sèpius sine clysteribus, vel saltim unica tantum injectione, lenientibus comparata, profigabatur, num complicata, repetitas, incidentibus, resolventibus & aliquando stimulantibus acutas poscebat, quæ semper magnam fecum copiam educebant, quibus omnibus evacuatis, hernia sine externis adminiculis sponte & uno quasi momento redibat in limites, & omnis tumultus & paroxysmus cessabat. Aliquando colica sola simplicem suum servabat decursum, sine exacerbatione status herniosi, quando scilicet intestina vacua sub spasmis impactioni scybalorum locum dare haud poterant.

## §. V.

Hæc status herniosi cum colica hæmorrhoidalí sub dictis circumstantiis facta complicatio, omnino suspecta est, & productioni passionis iliacæ favet. Immo hunc gravissimum sane affectum, in hoc ipso subiecto aliquando produxit, cuius ulteriore & specialiorem enarrationem cum rationis formalis & symptomatum explicatione, infra locis convenientibus addere constitui. Jam in præsenti de sede morbi & caussâ materiali generalem quandam considerationem præmitro. Duplici ratione passionem iliacam sub colica hæmorrhoidalí ortum habere posse statuo, primo quidem, quando intestini cujusdam pars scybalis repleta dilatatum annulum sub forma tumoris herniosi penetrare cogitur. Deinde etiam impatio fœcum

cum sedem habere potest circa ilei finem & coli principium. Consentientes in hac re habeo auctores, HILDANUM in Observat. cent. I. observ. 61. & ETTMÜLLERUM in part. I. cap. IX. operum suorum. Dubium quidem hic ab anatomis & aliis auctoribus movetur, an scilicet feces per valvularum BAUHINI possint transprimi ex colo in ileum, cuius rei autem possibilitatem sequenti ratione demonstrare conabor, & quidem ex structura coli circa hanc regionem anatomica. Formant enim coli membranae in facie interiori ejusmodi duplicaturam, quae valvularum instar in alterutro latere ita sibi invicem applicantur, ut non patet transitus, nisi scybalum ex colo sub spasticis moliminiibus ad valvulas usque repressa, faciant hic dilatationem & distensionem ipsius intestini quae duplicaturas, valvulas constituentes altius tollit; ita, ut intra hanc & illam jam apparuit spatium ovale, per quod excrements transitus pater in ileum, & ea fecum pars, quae huic adhuc inest, per motum peristalticum a ventriculo ad colon usque adhuc via ordinaria inferiora petente, retinetur & augetur, unde primum impactio inducitur. In intestino ileo circumvolutions anfractuosæ & tortuosæ accumulationi & impactioni ulteriore concedunt progressum, quae res motum peristalticum pergere prohibet, & ileum scybalis adgravatum, pondere suo aliquando descendere cogitur ad exitum usque, quem hernia concedit & excipit, hinc, quae condensata & compacta ante fuere scybalum, jam arctius inclusa, indurationem facillime subeunt.

## §. VI.

Jam accedo ad causæ materialis explicationem, huic in definitione impedimenti, motui peristaltico ordinarie,

seu

seu in statu naturali ad inferiora progradienti obicem portentis, nomen dedi, ad differentiam aliarum caussarum, motum peristalticum invertentium, quorum in colicæ hæmorrhoidalis explicatione, stricturas intestinorum spasticas recensui & exposui, quæ, licet etiam sint caussæ impediennes, nihilo minus ramen formalem potius respectum habent. Impedimenta itaque materialia passionis iliacæ sunt sequentia. Intestinorum partis cuiusdam modo circumvolutio, modo invaginatio, seu descensus & infertio unius in cavitatem alterius, modo sub statu hernioso inclusio, modo denique ab impactis & induratis scybalis obsessio & obstructio, quæ duo momenta posteriora præsente hernia concurrere observantur, obicem ponunt, quo minus motus peristalticus ad exitum pergere, & scybalia via ordinaria eliminare possit. Ex his patet, quomodo in speciali consideratione hic affectus, ratione causarum impediennentium, differentiam admittat. Sed laius omnia huic spectantria momenta persequi, & examini subjicere nolo, hinc B. L. ut dissertationem ANDREÆ FLACHII, de Passione iliacæ, Argentorati bobixom, adest rogo, & tantum de impedimentis ex hernia inguinali præcipue incarcerata, & fecibus inde induratis, nec non, quomodo haec sub colica nostra hæmorrhoidalí aliquando generentur, dissero. Minime autem sentio passionem iliacam sub hac rerum conditione semper colicæ hæmorrhoidalí ortum debere. Novi enim hernias sœpius producere perrinaces colicas, quæ vero haud comites habent ejusmodi molimina hæmorrhoidalia, quæ colicæ hæmorrhoidalí competunt, cum illa potius retentioni fæcum alvinarum & flatuum ortum debeat.

Passionis iliacæ species, cuius explicationem hic exponere constitui, pro causa proxima agnoscit motus peristaltici vomitoriam inversionem, pro remota impactiōnem scybalorum in intestini ilei parte, & hujus incarcerationem herniosam, pro remotiori denique colicam hæmorrhoidalem. Non facile accedit huic colicæ morbus iliacus nisi intestini scybalis repletis & hernia fortissime inclusa, deficiente enim causa, deficit & effectus. Rationem autem, quomodo motus peristalticus invertatur, & ad superiora redire cogatur, mihi formo sequentem. Portio coli & ipsum cæcum, ubi fæces circa valvulam compressæ ac impastæ hærent, distenditur & ampliatur, hinc latera partis vacuae & coli & ilei contrahuntur & coarctantur. His accedunt stricturæ spasticae, colon jam antea sub colice hæmorrhoidalibus moliminiibus exercentes, matum peristalticum turbantes & invertentes, qui partem obfessam fortius comprimendo, constringendo & propulsionem ad superiora intendendo, viam ad inferiora claudunt & obstruunt. Motus autem peristalticus per intestina renum a superioribus currens, vermiculari suo progressu adit loca obstructa, eaque premendo & urgendo, inferiora petit, sed impedimenta opposita inveniens, pergere prohibetur, & gradum sistere cogitur. Sub hoc agendi a superiori, & reagendi ab inferiori intestinorum tractu conatu, scybala eo fortius in unum coacervantur & comprimuntur locum. Hinc motus peristalticus in uno intestinorum canali diversimode exercetur, & hic simul in regiones separatas quasi dividitur. Stricturæ in parte inferiori nunc superiora petentes, jam arctius latera recti & coli

coli contrahunt, unde accedens colicæ hæmorrhoidalib[us] status, anum fortius claudit, alviq[ue] inducit pertinacissimam obstructionem, ita, ut vix cannulam clysteris immittere possimus. Motus autem peristalticus per tennia ad crassa p[er]gens, & progressum ac exitum urgens, de novo sub hoc conamine e superioribus regionibus vel fluida vel fatus & alia adducit, quæ subsistere coacta, hinc inde intestina tennia distendunt & dilatant, vi autem horum elastica resistente, quia ad exitum via haud patet, ad superiora relegantur. Sub hoc nisi contentorum, nec non renisu motuum & membranarum primum ipse motus peristalticus in tenuibus turbatur, & deinde plane invertitur, & ad pylorum usque recurrere cogitur.

§. VIII.

Motus peristalticus sic turbatus in intestinis idem praestat, quod a pyloro ad cesophagum usque inversus sub vomitibus exerceat. Fæces enim jam in ventriculum protruduntur, & sui propinquitatem per fecidos produnt ruetus, ipsius vomitus quasi præcursor[es]. Motus autem peristalticus vi & impetu ex intestinis ventriculum aggrediens, ibidem in fibris robustioribus ex legibus elasticatis augetur, fortior redditur, & in vomitoriam transfit subversionem, contenta intestinalium per os rejiciensem. Hic vomitus fortissimo suo impetu & pertinaci frequentia signum est passionem iliacam colicæ hæmorrhoidalib[us] accedere, & successu temporis per aliquot dies saepius recurrens, sub initium aquam lymphidam, deinde mucosam graveolentem & coloratam, tandem autem sterco-ribus refertam propellit. Aqua sic primum ejecta tenuis & limpida, ingesta fluida quantitate sua longe superat,

D 2

unde

Unde illam sub spasmis e glandulis secerni, & successivæ  
fæcum resolutioni inservire judico. Hæc vomitoria mó-  
tus peristaltici inversio non, nisi sublatis, canalem intesti-  
norum obstruentibus impedimentis, cessat.

## §. IX.

Addo jam restantem specialem historiam decursus  
passionis iliaceæ, intermixta symptomatum explicatione.  
Corripiebatur aliquando idem illud subiectum, cuius supra  
mentionem feci, assiefacto jam colice hæmorrhoidalis  
paroxysmo, qui sub initium, secundum omnia in Cap. I.  
§. XX-XIV. descripta momenta decumbentem exercebat,  
& omnibus medicamentis internis adhibitis, cedere recu-  
fabat, donec altero die herniosus tumor appareret, simul-  
que motibus superiora pertentibus, vomitus accederent,  
cum pertinacissima alvi adstrictione, quæ res omnino su-  
specta tandem mutabatur in tristem illam scenam, in qua  
ipsa passionis iliacea apparatus, atrocissimis suis symptoma-  
tibus ægrotantem misere exercebat. Sentiebat partiens in  
tumore herniæ inclusæ dolorem pungentem & ardenteum,  
a pressione scybalorum & distensione fibrarum deducen-  
dum, inflammatione ramen nulla apparente. Vomitus  
pertinacissimam servabant recursuum frequentiam, quam-  
cunque etiam medicamentorum vel potus assumptionem  
sequebantur, & successu temporis ratione impetus fortio-  
res reddebantur & scybalæ secum ducebant, quos & ipsæ  
tandem comitabantur injectiones clysmaticæ, quibus prod-  
euntibus successive sistebantur insultus vomitorii. Hos  
excipiebat diarrhœa, non colliquativa sed sensibilis, sine  
ramen ullis alvi doloribus. Ejusmodi diarrhœæ, qualis  
hæc erat, minime sunt mali ominis, nec paresin ex colica  
indu-

inductam indicant, sed eandem caussam habent cum vomitibus, multam humoris limpidi copiam rejicientibus, quorum mentio in paragrapho præcedente facta est. Alvo sic ad vota soluta, & succedentibus dejectionibus omnes dolores penitus cessabant, & hernia jam mitior facta, sponte redibat in situm naturalem. Pulsus inter haec intermittens erat, anxie negotii vitalis trepidationis testis. Vasa enim sanguifera, intestina concomitantia hinc inde una afficiuntur, in hac regione nimium distenduntur, in alia e contrario constringuntur, hinc sanguis subsistere cogitur, & circulus ubique alias æqualis & ordinatus turbatur, ita ut obstructiones & stases sepius inflammationem & subsequentem sphacelum inducant. Partes externæ erant frigidæ & relaxatae, ob laborem in interioribus gravissimum, sudoremque fundebant frigidum ex hac ipsa attonia derivandum.

## §. X.

Urina non sine doloribus mittebatur, qui in hoc passionis iliacæ affectu, per consensum, a spasmis inferiora constringentibus, & sub acerbioribus vomitibus superiora perentibus, & intestino recto adjacentem vesicam una afficiuntibus, derivandi videntur. Ipsa urina, quia febris nulla aderat inflammatoria, similis observabatur illi, quæ reddi solet a subjectis, quorum intestina cruditatibus referta sunt, & quæ vitiata digestione & concoctione laborant; cum e contrario accidente febre rubicunda sit. Largior præterea reddebat cesantibus vomitibus, quam sub his ipsis, stricturas partium internarum inducentibus. Clysteres immisii sub initium redibant fecibus referti, donec viis hucusque obstructis & clausis tandem reseratis,

autem injectiones ipsae per superiora redderentur. Hæc enim incidentibus & resolventibus acutæ successivæ impacta penetrant seybalæ, indurata resolvunt, & quia motus peristalticus interea superiora adhuc perit, ab hoc ipsis una ad ventriculum devolvuntur. Hic labor internus gravis sane, acutus & arduus sitim crebat vix satiablem, cum potus frigidi desiderio, quasi patiens ab hoc ardoris interni mitigationem exspectaret. Multum enim humidi, vomitibus sœpissime redeuntibus evacuatur, & ut supra exposui per glandulas sub spasmis deponitur in intestina & ventriculum. Vires totius corporis languentes observabantur, ita, ut quæ loquebarat patiens, vix percipi poterant a proxime circumstantibus. Animus sibi semper constabat bene compositus & status sui optime conscientius, non tristis aut demissus, sed serena fronte certissimam restitutionem sperans. Somnus sœviente adhuc paroxysmo erat nullus, postea autem tranquillus sine terrentibus insomniis, & omnino notabilem semper afferebat virium restitutionem. Ipso affectu passionis iliacæ superato, remanebat cardialgia haud lævis, quam a cerebrioribus vomitibus cesophagum & partes adjacentes concutientibus inductam esse judico. Tuisis sicca nocturna quæ aderat, & simul agrotantem afficiebat, testis erat restantis cuiusdam suspectæ indolis cauſæ, quam malum illud induxerat. Optima spes salutis in absentia febris inflammatoriae ponenda erat. Hæc enim, quia obstructionem haud tollit, sed potius stases sub hoc statu congestione sua & impulsu fortiori adauget, fere semper pro pedissequis habet sphacelum ac mortem, qui prior adesse judicatur, quando drepente & motus vomitorii & spastici, & febriles

bris cessant, ægerque se melius habere satetur, vîres autem nihilo minus deficiunt & diarrhoeæ insensibiles accidunt. Restitutionis autem spes affulget, si febris nulla adest, motus vomitorii cessant, hernia sponte reddit in limites, & depositiones alvi urgent, ita, ut æger ipse, motum peristalticum in ordinem rediisse sentiat. Hæc de Pathologica hujus affectus tractatione sufficient, cuius contenta ex sequentis capitî practica consideratione, ad cimum supra expositum restricta & applicata, majorem adhuc expectabunt lucem.

### CAPUT TERTIUM

#### SECTIO PRIOR,

DE

### *Therapia Colicæ hæmorrhoidalis.*

#### §. I.

**T**herapiam affectuum pathologice supra recensitorum, expositurus, præmitto ordinem & filum sequentis tractationis practicæ. Generatim sequor regulam B. STAHLLII, qui medicum in paroxysmon & in paroxysmo curare jubet. Hæc lex dupli respectu considerandum docet morbum, primo scilicet, quatenus cauſa ejusdem in ipso corpore hæret, & illud morbis obnoxium reddit, deinde, quatenus hæc cauſa materialis morbos, seu motus præternaturam auctos, excitat, & sic morbum inducit. In paroxysmo itaque medicus curam instituit, quando idem facit quo motus salutares tendunt, & reliquos secure in ordinem reducere allaborat. In paroxysmon autem agit, quando cauſam in corpore hærentem,

rentem, plenarie tollere, & methodum præservantem, ne denuo inducatur, applicare studet. Sic extra paroxysmum idem facit ac in ipso sœiente, nisi quod ad motus attendere, non teneatur. Hoc observato ordine, præmitto indicantia, his subjungo indicationes, seu regulas therapeuticas, quibus tandem addo indicata, seu remedia, morbo opponenda, ita quidem, ut haec sectio prior sistat, therapiam colice hæmorrhoidalis in paroxysmo, & cauße hujus remotionem in, seu versus, & quod idem est extra paroxysmon; sectio posterior autem agat itidem de therapia passionis iliacæ & curatoria & præservatoria. Cuilibet sectioni subjunguntur cautelæ & observations practicæ.

## §. II.

Sub ipso paroxysmo respicienda sunt & materia & motus. Hi, quia sunt præternaturam & necessitatem nimium austi, & erronei, ita, ut scopo hæmorrhagico, & intentioni impedimenta spissitudinis tollendi non satisfaciant, removendi sunt & mitigandi, sed secura ratione, ne curationibus plus detrimenti quam emolumenti & auxiliū inducatur. Respectu habito ad materiam, indicans primum est sanguinis in vena portæ, vasis annexis & ipsis hæmorrhoidalibus consistentia justo spissior. Hinc indicatio generalis prior postular hujus correctionem & sublationem. Huic scopo satisfaciunt regulæ specialiores quæ absolvuntur, a) attenuando & diluendo. Inferviunt hic potus & infusa calida Theé & Caffeé. b) Incidendo & resolvendo. Conducunt in hunc finem salia media digestiva diæta, inter quæ sal absynthii aliis faciliorem subit solutionem, optimum autem horum est illud, quod sub forma

ma fluida liquoris terræ foliatæ tartari nomen gerit, & si-  
ne ullo imperio & exæstuatione egregie incidit, resolvit,  
& simul temperandi pollet virtute. Habemus porro ra-  
dices & herbas resolventes, in quarum numero sunt, Ra-  
dices ari, Pimpinellæ albæ, cichorei, vincetoxicí &c.  
herbæ Scordii, veronicæ, centaurii minoris, carduibene-  
dicti, fumariae, cochleariaæ &c. & quæ simul blandam ha-  
bent virtutem anodynæ & discurrentem, uti sunt herbæ  
melissæ, millefolii, & cortices aurantiorum immaturo-  
rum, quorum essentia affectibus hypocondriaco-hyste-  
ricis præcipue a quibusdam dicatur auctoribus. Per-  
tinent etiam huc guminata & extracta incidentia & discuti-  
entia, v. gr. ammoniacum, galbani, hederae, Juniperi, ex-  
tracta absinthii, Cardui benedicti, cochleariae, fumariae, cor-  
ticum aurantiorum, & compositæ ex his & aliis ejusdem  
virtutis Pilulæ, Illustris HOFFMANNI, B. STAHLII, & BE-  
CHERI.

### §. III.

Respectu motuum nimium auctorum & erroneorum  
indicatio generalis posterior poscit horum securam tem-  
peraturam. Hæc alterantis therapiæ species motuum  
superfluum & exceedens removere, & illos in statum na-  
turalem reducere docet. Duplex hic nobis permisus est  
gradus, pro differentia rationum, quibus absoluntur.  
Prior agere jubet in partes intensas & fortiter strietas;  
hinc fibræ spastice extensæ relaxandæ sunt, ira ut sanguini  
in vasis liberior concedatur progressus. Conducant  
in hunc finem lenientia, quæ humectando & lubricando  
fibris intensis remissionem inferunt, & sic, dolorem, quem  
spasmi faciebant, mitigando, sedationis effectum produ-  
cunt.

E

cunt. Huc pertinent remedia, quæ ex principiis oleofisis, pinguibus, mucilaginosis & humidis, partes flexiles & molles faciunt. Commandantur in hunc finem juscula pingua, olea, lac, medullæ ossium animalium, & e regno vegetabili, radices Altheæ, Malvae &c. Herbae Altheæ, Chamomillæ, Malvae &c. flores Chamomillæ, liliorum alborum, verbasci &c. Semina cydoniorum, lini &c. fructus amygdalarum dulcium. Alter deinde gradus offert temperantia, quæ in humores seu sanguinem potius ipsum & motus agendo successive rem suam peragunt. In sanguinem agit virtute refrigerante & antorgastica, nitrum. Cinnabaris rite præparata, quæ instar cotis se habet, & penetrat per vascula obsecra, & ibidem haerentia obsecula removet, simul autem gaudet virtute anodyna, quem & extra Corticum cascarillæ, aurantiorum & millefolii sumit. præter discutientem efficiaciam habent. Quia vero haud raro præsentes in intestinis fæces, & primis viis haerentes cruditates malum pertinacius reddunt, & horum omnino est respectus habendus, unde aliquando exhibenda sunt digestiva cum alvura blande subducentibus. De reliquis anodynis, quas promptius in motus & partes agunt, hinc minus hic securi sunt usus, infra agendum erit.

## §. IV.

Jam accedo ad methodum specialiorem, ubi selectum faciens, remedia indicabo, quorum usus, in repetitis paroxysmis non sine utilitate fuit. Sub ipsius itaque paroxysmi initium & per decursum infusa calida diluentia, verbi gratia Thée, exhibentur, quibus per vices subjungitur pulvis temperans ex nitro, sale quodam medio, & cinnabari. Hi pulveres repetiti, mitigandis impetuosis insultibus inser-  
viunt.

viunt. Ut vero proprius materia afficiatur, propinari potest liquor terræ foliata tartari, hic superinfunditur extractis balsamicis, supra dictis discutientibus, incidentibus & solventibus, hæc digestioni seu potius solutioni exponuntur. Hæc solutio bene saturata exhibetur. Hujus certe medicamenti usus sèpius cum optimo successu satisfecit spei & desiderio. Hac enim ratione extracta in menstruo salino soluta & contenta, altius penetrare possunt. Obtinemus etiam simul ob sal digestivum liquoris nominati aperitivum & laxantem effectum. His, si cedere recusant dolores, subjungi poterit juscum ex carne & medulla ossium animalium. Quando autem motus interiora venæ portæ vasa adire videntur, & altius penetrant, ad interiora & superiora viscera, tum omnino omnis spes in sublatione pertinacis alvi obstructionis posita est, ubi omnibus aliis remediis palmam præripiunt injectiones per clystères. In ano enim, intestino recto & colo strictruræ incipiunt, & quo magis superiora petunt, eo fortiorē inducunt ad strictionem, quæ obstructionis nomen acquirit, quia latera seu parietes canalis ita firmiter ad se appropinquare coguntur, ut lenitione & emollitione per oleosa & pinguia opus sit, quando clysterem immittere volumus. Hinc si remissionis initium in canalis principio obtinetur, sequitur & relaxatio spasmorum in partibus altioribus. Comparantur autem ejusmodi injectiones ex decocto avenaceo, adjectis herbare veronicæ, floribus chamomillæ, & tantillo nitri vel salis communis, cuius portione autem refracta esse debet, additur his & oleum olivarum, vel quod melius est amygdalarum dulcium. Hæ injectiones répetita, omnibus præstant in hoc casu medicamentis

mentis, & in affectu hujus colicæ nunquam hucusque si-  
ne fructu adhibitæ fuerunt. Repetendæ autem sunt in  
primis si vomitus colicæ accedunt. Hi enim eveniunt  
vel ex consensu ventriculi cum partibus affectis per vasa  
hæmorrhoidalia & splenica, vel ex scybalis compactis  
& condensatis, hinc canalem obstruentibus, & motui pe-  
ristaltico obicem ponentibus. Hæc omnino saepius sunt  
alluenda, incidenda & resolvenda, ut semper aliquid de-  
trahatur, & denique via præclusa successive aperiatur, &  
motus denique peristalticus in ordinem reducatur.

## §. V.

Hæc de curatione in paroxysmon præmissa, sequi-  
tur jam medicatio præservatoria, quæ cauſas removere,  
ne paroxysmi recrudescant, docet. In genere condu-  
cunt hic infusa calida e radicibus & herbis temperate re-  
solventibus, quorum virtutes, cum aqua calida attenu-  
ante & diluente conjunctæ, sane non contempnendi sunt  
effectus. His aliquando subiungi potest pulvis supra di-  
ctus temperans, ad orgasmos coercendos & præcaven-  
dos. Alvis a cruditatibus libera sit, necesse est; hinc a-  
liquando digestiva cum lenioribus laxantibus, præcipue  
rhabarbarinis exhibenda sunt. Ditionibus commendari  
poterit usus supra commendatae solutionis extractorum  
balsamicorum in liquore terræ foliatae tartari. Quo mag-  
is autem motus corporis placidus virtuti medicamento-  
rum succurret, eo magis interrumpendum est regimen  
nimis coactum, meditabundum, & respective otiosum.  
Vitanda præterea sunt animi pathemata iracundiæ & æ-  
rumnarum, quorum priores motus excitant & orgasmos  
inducunt, posteriores autem motus vitales languescere  
einem faciunt;

( 37 )

faciunt; hinc humoribus occasionem præbent ad subeundam spissitudinem.

§. VI.

Præterea omnino diæta cruda & nimium aromatica a mensa releganda est. Prior enim in subjectis præcipue annosioribus, non tam prompte digerentibus, quam juvenes robusti, successive aliquid visciditatis & cruditatis relinquit, quod ad auctum tandem graviora inducit colicæ symptomata, qua ipso malo hoc pejora, in vita periculum patientes conjiciunt. Aromatica autem fercula, impulsu suo calefaciente, sanguinem expandunt, orgasmum inferunt, & molimina tumultuaria producunt. Quia vero hæc colica est inter molimina hæmorrhagica, & hujus rei respectum habeamus, necesse est; hinc, quando hæmorrhoidum suppressio hoc malum produxit, tunc illorum revocatio non tumultuaria sed blanda, cum ordinata administratione, levamen afferre poterit. Com mendantur in hunc finem applicationes hirudinum ad loca hæmorrhoidalia, & promotio excretionis alvina per ejusmodi medicamenta, quæ in intestinum rectum agere observata sunt, verbi gratia extractum Hellebori nigri, centaurii minoris, & suppositoria stimulantia. In subjectis autem, ubi fluxus hæmorrhoidalis antea nunquam adfuit, sed hujus loco cœca solum & externa conamina, in hæc interna, colicæ speciem habentia, transierunt, præstant vicariæ hæmorrhagie artificiales, in primis, si ad suæ fuerint.

§. VII.

Negotia hæmorrhagica omnino cum prudenti & rationali consideratione tractanda sunt; præcipue autem al-

foris indaginis sunt anomaliae haemorrhoidum æque ac mensium; hinc non promiscue & indiscretim omnia quæ commendantur sine limitatione usus adhibenda sunt; hunc in finem, quomodo circumspæcta ratione & motibus obviam eundum, & materia afficienda sit, indicabo. In ipso paroxysmo releganda sunt anodyna stricte dicta, præcipue autem cum virtute adstringente conjuncta, in quorum censum veniunt, pulvis corticis cascarillæ, & præparata ex vitriolo. Nec admittenda sunt, quæ narcoticam & stupefacientem habent qualitatem, uti sunt opia. Hæc enim in subiectis languidioris temperamenti, plenariam motuum abjectionem in partibus affectis, sive paralyfin inducere valent, in illis autem, quorum motus & animi & corporis activioris sunt indolis, quæ non statim per mitiores remonstrations mitigari possunt, observatur pertinacior motuum, post usum anodynorum, contentio. Multo minus ejusmodi remedia, si semel & altera vice propinata fuerint, & motuum nihilominus nulla sequitur remissio, repetenda & continua sunt, & natura ad quietem quasi cogenda est. Certissime enim alterutrum diætorum extremorum producitur. Nec adhibere velim oleum amygdalarum dulcium pro usu interno. Hoc enim exhibito, quo citius paroxysmi remittere, celerius etiam illos redire observatum est.

## §. VIII.

Vitanda etiam sunt respectu habito ad materiam removendam, medicamenta fortiora, cum impetu resolutiva & simul exæstuantia, & ipsis non exclusis diaphoreticis fixis. Nimia enim & fortior resolutio, extero tumultui, impetuosa affert commotionem internam, si ne

ne illius sublatione, & diaphoretica fixa, sine ulla materiæ remotione, & partium relaxatione, universalem inducent orgasmum. Praestant ita potius medicamenta, quæ absque impetu materiam corrigunt, mobilem & fluidam reddunt, & sic cauſam removent, nec non, quæ partium nimium intensarum relaxationi inferviunt, & motuum exacerbationem infringunt. Inter ejusmodi adminicula, quæ rem non tangunt, & tamen orgasmum faciunt, est & vnde Sectio sub ipso paroxysmo adhibita. Alias quidem quantitate imminuta, reliqua sanguinis massæ promptiorem per vasa subire potest circulum, si modo spasmi sub orgasmis non augerentur. Universale enim motuum augmentum, præcipue in sanguine, particulares exacerbationes certe opinione tardius removet, cum notum illud sit, quod post hæmorrhagias ejusmodi artificiales, motus per aliquot dies augeantur, & non momentaneum habeant effectum. Removenda præterea esse judico in hoc affectu, externe applicata emollientia & carminativa, quæ alvo imponuntur. Hac enim motus non sistere, sed potius ex hac in aliam regionem tumultuarie agitare observantur. In primis hi mox transeunt ad vasa hæmorrhoidalia externa, mox etiam ad interiora & superiöra viscera; hinc vomitus invitantur pertinaces, qui non, nisi per stimulum, clysteribus adjectum, in ordinem reducuntur. Sivero, ut supra dixi, transeunt ad vasa externa, tunc bono cum successu applicantur, exhibitis extractis millefolii, cornicicum cascarillæ & aurantiorum, in aqua sceniculi, melissæ, menthae, vel alia destillata solutis. Extracta enim hæc, quæ substantia inest, virtutem

rem adstringentem non secum dicunt, saltini non eadem  
quantitate, ut detrimentum inde metuendum sit.

## §. IX.

De hæmorrhoidum revocatione, cuius supra §. V.  
mentionem feci, adhuc quedam monenda sunt. Expõ-  
nuntur quidem loco citato medicamenta hæmorrhoidum  
fluxum, qui antea adfuit, denuo invitantia, quibus ap-  
ponitur & regula de ordinata restitutorum administratio-  
ne. Sed adfunt contra indicantia, quæ vel ratione subje-  
ctorum, vel ipsius sanguinis & negotii hæmorrhoidalis  
non admittunt executionem. Interim tamen, ne aliquid  
omisissè videar, apposui, quæ & autores in primis recentio-  
res illis adnumerant adminiculis, cum quibus caute o-  
mnino mercandum sit. Respectu subjectorum attenden-  
dum est ad æratem & vitæ genus, quæ duo momenta diffi-  
ciliorem reddunt & restaurationem, & continuationem  
ordinatarum. Aetas enim annosior mutare solet tempera-  
menta activa sanguineum & cholericum, in tardius illud  
melancholicum, quod cum vita sedentaria, litteraria &  
æruminarum plena, impedimenta potius quam ipsum flu-  
xum promover & producit. Ipse enim fluxus ejusdem  
est indolis, ut ad quælibet obſtacula vel turbetur, vel sup-  
primatur, in primis, si spissitudo ipsa, & cauſæ illam pro-  
ducentes, non penitus remota sint, ipse etiam sanguis in ju-  
sta tenuitatis & fluiditatis consistentia constitutus sit, neces-  
ſe est, præcipue in vena portæ & vasis sanguinem illæ ad-  
ferentibus, quia hec omnia tam sub fluxu ordinato, quam  
sub moliminibus in consensum trahuntur.

## §. X.

Ratione motuum, respiciendum est ad molimina, sub  
quibus

quibus nulla ordinata contingit sanguinis excretio hæmorrhagica, unde & remedia supra dicta exæstuantia & fortiora stimulantia non facile admittenda sunt. Tumultuarium enim impetum faciunt in vasa, cui & responderet subsecuta excretio, magis impetuosa, quam placida. Præstat itaque, si ætatis & temperamenti ratio id permittit, hæmorrhoides sequenti ratione, placida, moderata & blanda revocare, & restauratas administrare. Primum ante omnia primæ viæ liberandæ sunt a visciditatum & cruditatum faburra, per leniora digestiva & alvum subducentia, ubi rhabarbarum non spernendæ est virtutis & efficaciac. His enim non præmissis, sequens medicatio facilime turbatur, & inutilis redditur. Subjungatur deinde Venæse-  
tio sufficiens, ut quantitate imminuta, circuli in universum promoveatur progressus. Tandem concedatur usus aquarum, fontium salubrium, non neglecto regimine, e-  
iusmodi curæ accommodato, interpositis scilicet salibus mediis, aquæ assuntæ excretionem sufficientem, pro-  
moventibus, & motu corporis placido, circulum per va-  
sa adjuvante, additis insuper laxantibus rhabarbarinis,  
tanquam mitioribus. His omnibus per tempus aliquod  
præmissis & continuatis acquiritur sanguinis per omnes  
vasorum meandros & curvaturas attenuatio, & spissitudi-  
nis remotio universalis, qua sublata tandem blanda quæ-  
dam invitatio ad vias locum habet, qua obtinetur, vel per  
pilulas supra dictas, vel per solutionem extractorum bal-  
famicorum in liquore terræ foliatae tartari, quod medica-  
mentum leniter aperit, incidit & stimulat. Administra-  
tio vero, sic revocati fluxus hæmorrhoidalis obtinetur,  
per regimen & diætam, sanguinem in fluiditate conser-

F

vantia,

vantia, motum scilicet corporis placidum, pótum sufficiéntem & dilutum, & interposita leniora digerentia, aperientia, & laxantia, evitatis simul omnibus exæstuationibꝫ & orgasmis; utpote quæ negotia hæmorrhagica mirum in modum alterare observantur.

## SECTIO POSTERIOR

*De*

*Therapia passionis iliacæ, sub statu hernio-  
so & colica hæmorrhoidalii  
oriundæ.*

§. I.

**I**N hujus affectus tractatione therapeutica attendendum erit ad duo illa impedimenta, motui peristaltico obvia; herniam scilicet incarceratam & scybulam impaecta & indurata, denique etiam ad ipsum motum peristalticum inversum, & in vomitoriam ventriculi subversionem mutatum. Ipsæ itaque herniæ incarcerata tumor removendus est per repositionem, quæ tentatur sub situ corporis supino, cruribus elevatis, ubi sponte interdum redire solet in limites naturales, in primis si adjuvetur regressus digitis, sub lenioris repressionis tentamine, admotis. Quando autem fæces in tumore contenæ compactæ & induratae resistunt, quo minus repositio successum habere possit, immo, si dolores acuti & ardentes urgent, ita ut inflammatio immineat, tunc sane externis opus est succurrere remediis, caraplasmatibus scilicet lenientibus, emollientibus, discutientibus & dolores sedantibus. Priora, lenientia scilicet & emollientia respiciunt & ipsum tumorem

rem & scybalæ, quæ continet. Hæc autem, discutientia & sedantia, inflammationem præcavendi scopo adduntur. Lenientia & relaxantia externe applicanda sunt, lac vaccinum calidum, epithemata ex pane in illo cocto, præterea radices, herbæ, flores, semina & olea hæc virtute prædicta. Huc pertinent & unguenta ex pinguedinibus animallium & oleis parata. Inter discutientia sunt radices calami aromatici, iridis florentinæ, vincetox. bryon. caryoph. aristolochiæ rotundæ &c. Herbæ serpilli, majoranae, roris marini, salviæ, melissæ, thymi &c. flores anthos, chamomillæ, rosarum rubrarum, lavendulæ, galegæ &c. Gummata, mastichis, benzoës, myrrhæ, succinum. Aromata varia. Spiritus abstractitii, Camphora & alia. Ex anodynis crocus & opium variis admisceri possunt formulis. Inter hæc nec scybalorum induratorum cura negligenda est per remedia interna, clysteribus admixta. Hæc præcipue comparentur ex diluentibus, emollientibus, incidentibus, oleosis præc. & resolventibus, necesse est. Motus peristalticus inversus per anodyna interne adhibita, cataplasmata ventriculo imposita ex carminativis, discutientibus & sedantibus comparata; nec non per stimulos ipsum in ordinem revocantes, & clysteribus additos corrigitur. Hæc de generali methodo sufficient, sequitur jam specialior ipsius affectus consideratio therapeutica.

## §. II.

Si, ut supra dixi, hernia repositionem non admittit, applicatur externe scopolente, lac cepidum, vesica exceptum, quod, si per horas aliquot impositum sit, removeretur, & substituuntur discutientia cum anodynis mixta. Hunc in finem mica panis coquitur in lacte vaccino, huic

F 2

concu-

concitendo immiscentur vitelli ovorum, massæ denique  
 paululum expressæ adduntur camphora & crocus orientalis,  
 que linteo excepta, consperguntur spiritibus li-  
 liorum convallium & serpilli abstractitiis, & tandem loco  
 affecto imponuntur. Vé afflumuntur hujus loco theriacæ  
 andromachi ad drachm. ij. succini præparati drachm. j.  
 camphoræ scrup. j. croci orientalis scrup. sem. Succinum  
 dissolvitur in spiritibus abstractitiis modo dictis. Hæc  
 alternari possunt cùm speciebus in præcedente §. descri-  
 ptis nervinis, in aqua coctis, expressis & calide imponen-  
 dis. Illustris academiæ Senior, FRIDERICUS HOFFMAN-  
 NUS commendat balneum e discutientibus & relaxanti-  
 bus comparandum, cuius usus & rationi, & experientiæ  
 omnino egregie responderet. Vomituum compositionem  
 & mitigationem tentare possumus per externa ventriculo  
 imposita sedantia & discutientia; recipitur in hunc finem  
 crusta panis superior, hæc supra carbones calefactæ con-  
 spergitur vino, spiritu menthæ, pulvere nucis moschatæ  
 & croci orientalis. Ipsæ denique fæces indurate ante  
 omnia sunt removendæ, ranquam impedimentum illud  
 motui peristaltico obicem ponens, & ejus progressum ad  
 inferiora non admittens. Optime autem obtinetur hæc  
 indicatio per clysteres, ex lacte, oleo olivarum vel amygdalarum dulcium, paratos, quibus adjiciuntur bono cum  
 successu resolutionis extracta illa balsamica, quorum men-  
 tionem supra in §. III. & IV. sectionis prioris hujus capitii  
 tertii, mentionem feci. Horum massæ liquoribus ad coctionem  
 congruis a drach. sem. drachm. j. injicitur, quæ inci-  
 dendo penetrat in & per fæces induratæ. Intestina his per-  
 via facta, & viam præclusam apertam esse, indicant vomitus  
 &

& clysterum & scybalorum rejectionis cessatio. Nunc tempus est, ut injectionibus addatur stimulus salinus, quo motus peristalticus inversus in ordinem reducatur, quo facto, interne ad vomitus porro avertendos & febrem inflammatoriam praecavendam exhibeat pulvis ex nitro, sale medio, speciebus de hyacintho, conchis citratis, cinnabari & antimonio diaphoretico, quæ ingredientia aquis diaphoreticis scordii, cardui mariae, & analepticis, florum tiliae, cerasorum nigrorum, galegæ. C.C. citratæ &c. misceri, & sub forma potionis adhiberi possunt. Tandem motu peristaltico in ordinem redacto, & inflammationis metu superato, ut & hernia in limites regressa, conducunt nutritia & roborantia. In hunc finem lactis vaccini mensuræ tres coquuntur ad remanentiam usque partis tertiae, cui adduntur aqua cinnamomi sine vino, & supra dictæ analepticæ. Conducit etiam vini adulteris rheani usus, & juseculorum inde paratorum interpositio, cum continuato usu prædictæ potionis diaphoreticæ, ut sanguinis æqualem obtineamus circulum. Regioni pectoris, ob cardialgiam, a crebrioribus vomitibus relictam, applicantur spiritus serpilli & liliorum convallium abstractitii, discutiente & roborante scopo.

## §. III.

Jam accedo ad præservoriam hujus affectus meditationem; Ubi primum monendum est, quod intestina semper liberanda sint a visciditatibus, cruditatibus & copia excrementorum, quæ indicatio obtinetur per adhibita digestiva, salia scilicet media, conchas citratas, pulvrem radicis ari præparatae, & leniora laxantia, v.gr. rhabarbarina cum cremore tartari &c. Ratione diætae in

mensa feligendi sunt cibi molliores, & facilem digestio-  
nem & concoctionem subeunt. Relegandi autem sunt  
qui crudi & sicciores sunt, & excrementa ejusdem indo-  
lis relinquunt. Nec corpus exponendum est refrigerationibus  
sib tempestatum viciſſitudine; utpote quæ sem-  
per fere alterationem inducunt, multo magis autem illis  
subjectis, quæ constitutionem habent hujus, de qua in hac  
dissertatione sermo fuit conditionis. Ipsa denique hernia  
munienda est instrumento chirurgico, brachero dicto, quo  
novum egressum & incarcerationem præcavemus.

## §. IV.

Restant adhuc quædam cautelarum & observationum  
loco adjicienda. Primum itaque de relaxantibus, emol-  
lientibus & discentientibus herniæ externe applicandis,  
notandum est, quod emollientia cum discentientibus vel  
alternatim, vel coniunctim sint applicanda. Illa enim  
sub nimia relaxatione stases inferunt, & motus inflamma-  
torii affluxum allicit. Sub horum autem longiori &  
fortiori usu, scybalorum induratio & fibrarum rigor au-  
getur. Circa vomitus deinde monendum est, quod nec  
anodyna, nec aperientia per os assumenda, locum habeant,  
donec remotio fecum & aperio per clysteres facta sit.  
Observatum enim est, vomitus nonsolum omnia assumta  
spernere & rejicere, sed & per anodyna vel augeri, vel  
motuum post horum usum succedere paralyticam abje-  
tionem. Idem sentiendum est de oleorum & laeti vac-  
cini crudi uso interno, siue repetendo, ex quo certissi-  
mum sibi quidam pollicentur auxilium, sed vomitus fre-  
quentius recurrentes, nec oleis, nec laeti, nec aliis ingestis  
concedunt remoram; unde cum interne per os assumitis  
medi-

medicamentis nil efficitur, attamen non in totum rejiciendum esse puro sedantium usum internum, quin potius post alvi reserationem, motum peristalticum impetuose inversum fisti & posse & debere, censeam. Remotis tandem scybalis, & in ordinem naturalem reducto motu peristaltico, accedentes diarrhoeæ non sunt reformidandæ, in primis si non colliquative, sed sensibiles sint. Multum enim potus, quod ægri fistientes assumunt, sub hoc tumultu transfluit ora venarum mesaraicarum lactearum, & alvum egreditur, cum interea urina parcior esse obseretur. Pulsus inæqualis, debilis, tremulus, & intermittens, post remissionem dolorum & vomitum, sphaceli præsentiam quidem aliquando indicat, sed tantum non semper; si quidem debilitatis & amissionis virium, ob dolores, vomitus, & agrypniam continuam, signum est, conf. §. X. Cap. II. Et haec sunt, que pro virium tenuitate de arduo hoc affectu exponere potui. Faxit DEUS, ut omnia cedant in Nominis sui gloriam & proximi salutem, nec non, ut necessitas, neminem unquam cogat, nec prima, multo minus autem altera vice ad consilia in hac tractatione contenta, configere.

---

## CLARISSIMO DN. CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

**S**Illum in Medicina Praætica negotium intricatum, ambiguum, & salebrosum existit, sâne hemorrhoidalis est processus, qui implicato, mutabili

tabili & tergiversante suo Schemate multos à vera sui cognitione & dijudicatione seducit, ut dupli modo à via veri & recti deflextendi facilis detur occasio: etenim ex una parte illi qui Hæmorrhoides malevolo prosequuntur affectu & judicio, potius Scorbutum, obstructiones, acrimoniam humorum, calculum, flatus, malum hypochondriacum &c. accusare, & illas pro rarissimo accidente declarare solent: ex altera parte alii nimium Hæmorrhoidalibus motibus tribuunt, & multas, si non plurimas abdominales passiones cum illis confundere & perperam combinare malunt; peccant aliqui, qui indiscretim & cœca fide Hæmorrhoides beneficium naturæ vocant: errant non minus graviter & temere, qui odio hypothetico flagrantes Hæmorrhoides adverso latere intuentes, easdemque promiscue quippe maleficium naturæ diffamant, earumque furibundos ac turbulentos decursus cum moderato, ordinato & salubri progressu præjudiciose commiscent. A vero itaque penitus illud malevolum deflextit judicium, ac si B.  
S T A H L I U S indiscriminatim Hæmorrhoides salutiferas declaraverit, qui tamen singulis suis doctrinis ac Scriptis satis superque probavit, quam sepe motus & conatus hæmorrhoidales in magnam exorbitent ataxiam & vel vitio sanguinis valde turgidi & vasa nimium expandentis, aut nimis spissi, vel viarum strictorum, sicciorum magisque exilium, vel culpa animi inquieti, variisque affectibus perturbati, vel ob vitiosam diætæ & regiminis qualitatem, vel propter hæreditariam dispositionem, præcipue autem ex confusa, perversa & imperita medicatione,  
anoma-

2

anomalum plane successum & infensam valde qualitatem assument, qualem statum nec Stahlius, nec ullus sobrium & solidam Ejus doctrinam imitantium aut urgere, aut impellere & frivolo conatu cogere jussit, quin rectius maxima lenitate, moderatione & circumspectione corrigeret & in meliorem ordinem convertere praecepit. Negandum tamen minime est, quod placido ac moderato suo successu motus & fluxus haemorrhoidalis eximiam salubritatem promittat, id quod sincera, prudens, perita & attenta observatio luculenter & sufficienter comprobatur. Non parum autem Historiam Medico - Praetiticam illustrat & confirmat discreta hujus negotii haemorrhoidalis indagatio & tractatio, dum perito Medico ignotum esse neutiquam potest, quam variabilem faciem illud assumere, imo diversis aliis affectibus se complicare soleat: Specimen hujus Metaschematismi Colica haemorrhoidalis esse potest, cuius ulteriore & uberiore explicationem & ad certum Casum Clinicum applicationem T U CLARISSIME DOMINE CANDIDATE laudabili instituto & felici successu, praesenti Inaugurali dissertatione proprio suscepisti & docto perfecisti studio. Laudando enim conatu per aliquot transactos annos Medico Studio operam navasti, & ex ore diversorum Doctorum saluberrimas institutiones percepisti, quae TIBI sub cœlestis benedictionis adjutorio non nisi prosperrimos promittere possunt successus: perspicax enim indoles T U A egregiaque voluntas in philosophicis æque ac medicis scientiis uberrimum acquirendi thesaurum non tantum ubique exoptatum

G

obti-

obtinuit applausum, sed & multis bonis consiliis & incitamentis levata & adjuta fuit, ideo tales in studio Medico lucratus es professor, qui consuetis Honoribus Academicis a Facultate nostra digni judicati fuerant, posteaquam solitis examinibus spei nostræ satisfecisti: Et quoniam ingenuæ indolis ardor est, plus ultra proficiendi, ideo TIBI etiam curæ cordique sit, eritque, armamentarium bonæ scientiæ & peritiæ porro augmentare & illustrare, ut vestigia dexterimi DOMINI PARENTIS, Fautoris mei Honoratissimi strenue sequi valeas. Ob id sincero affectu optimo TUO Genitori gratulor de novo symbolo terrena felicitatis atque oblectamenti, quo de filio Doctore, qualem nondum, hoc charætere ornatum salutatumque, novit, gaudere potest. Sanctificet Summus rerum humanarum moderator hoc gaudium efficiatque ut natalis dies, cuius memoria festiva perendie DOMINO PARENTI TUO bonis omnibus affulget & recurrit, ac dies honoris, qui lauream TIBI necit & cingit calidissimis votis illustratus VOBIS & toti spectabili stirpi felicissimis, saluberrimis & desideratissimis successibus coronetur. Ita cum omnibus sinceris amicis voveo, vosque diutissime valere opto. Dab.

d. IX. Calend. Novembr. A. R. S.

clocc xxxix.

DISSER.

3

DISSERTATIONIS  
AUCTORI FILIO,  
**TIMOTHEO JUSTO LANGIO,**

S. D. P. PARENTS  
**D. JOACHIMUS LANGIUS.**

**P**ost spiritualem animæ curam, nullam magis esse necessariam & præstantiorem ea, quæ corporis est, ex ipsa novimus natura nostra, quæ utraque ista parte constat. Cum enim corpus sit organum animæ, hæc officiis suis facere satis nequit, nisi istud recte fœsi habeat, animæ decretis & operationibus apte subserviens. Illorum quidam, quæ Deo debemus, praxis omnino etiam locum habet corpore ægerrime affecto; imo eo magis, quo magis istius ægritudo nobis practicam beatæ immortalitatis meditationem ac præparationem commendat ac injungit. At enim vero, cum e præscripto Dei, non Deo solum, sed nobis etiam ipsis ac aliis, seu publico ecclesiæ ac reipublicæ bono vivendum sit, hic scopus sine valetudine integra, fætem tolerabili obtineri nequit.

Ad curam animæ, *Fili dilectissime*, a me in primis jam inde a teneris solcite es institutus: & ita quidem, ut spei responderet eventus. Cum enim recta animæ constitutio, universam vitam, speciatim academicam, ita dirigat, ut hæc sit bene composita & ab omni *πτωχείᾳ* sejuncta: Deo *ένναρξες* acceptum refero, quod e meliori isto animæ principio vitam egeris *έντασιν* & studio medico diligentius deditam. Cujus fructum nunc deprehendis eum, quod habi-

habilitatis tuæ specimen publicum edere potueris,  
dissertatione proprio marte concinnata: quod can-  
didatorum non est omnium.

Ad hanc vero ipsam elaborandam, etsi ne tantil-  
lum, pro mea rerum medicorum imperitia, confer-  
re potui: contuli tamen, quod in ea si non praci-  
puum est, momentum tamen trahit haud exiguum.  
Hoc est, electi thematis tui occasionem meus ilei de-  
dit morbus, qui septuagenarium me per omnem  
vitam, pro constitutione corporis mei alias quasi fer-  
rea, ante semestre tempus ex improviso invasit pri-  
mo, & pro vehementia, omnium judicio, meo tamen  
ipsius excepto videbatur ultimus; at, quæ DEI fuit  
gratia feliciter est superatus, fiducia mea, quam con-  
ceperam, volumen meum latinum, a GLORIA  
CHRISTI inscriptum, Christo sospitante, jam di-  
midia ex parte confectum, consummatum iri, sic  
impleta.

In quo morbo domestico curando, cum sub di-  
rectione & consilio DOCTORUM tuorum, Viro-  
rum e theoria & experientia medica longe celebre-  
rimorum, pro tua in me pietate die nocteque fue-  
ris maxime sedulus, facile intelligis, qua spei meæ,  
meique voti sit summa; scilicet, ut hoc præxeos tuæ  
specimen primum in ipso parente restituto editum,  
sit ter boni ominis, te, ad exemplum PRÆCEPTO-  
RUM tuorum, futurum esse medicum, ut fidelissi-  
mum curæ: sic etiam non infelicitis experientiae.  
Et hoc scopo, in proximi tui salutem corporalem,  
eo potueris certius, quo magis propriam animæ tuæ  
curam, ut DEUM omnis felicitatis datorem habeas  
propitium, tibi habebis commendatam.

Cete-

3

Ceterum cum disputationis actum data opera  
distuleris ad diem XXVI. Octobris, qui ratione an-  
ni mihi natalis & septuagenarius est, ut idem adhuc  
pluries recurrat, sincerum tuum multorumque alio-  
rum votum est; quod ego quidem paternæ DEI pro-  
videntia cum submissa animi resignatione relinquo.  
Dabam Halæ die XX. Octobris anni MDCCXXXIX.

---

VIRO  
SVMME REVERENDO  
**JOACHIMO LANGIO**  
S. S. THEOLOGIAE DOCTORI,  
EJUSDEMQUE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO,  
ORDINIS THEOLOGORVM SENIORI, SEMI-  
NARII THEOLOGICI DIRECTORI,  
S. P. D.  
THEOD. CHRISTOPH. VRSINV.

**I**Ta tandem, quod faustum fortunatumque esse ju-  
beat supremus rerum omnium Arbitrus, *annum*  
*septuagesimum* feliciter ingrederis, VIR SVMME  
VENERANDE! cumque anno proxime præter-  
lapsò, morbum istum grauissimum, per summi Nu-  
minis gratiam, fortissime superaueris; non sperant  
modo, sed confidunt boni omnes, fore, ut nunc oc-  
togenimum, immo & nonagesimum annum, si DEO  
ita visum fuerit, feliciter attingas. Dimidium ferme  
aetatis TVAE venerabilis partem, in hac ipsa Fride-  
riciana nostra, summa cum laude consumisti; sed

G 3

cepi-

cepisti quoque in hac ipsa Fridericana, & probitatis,  
& doctrinae, & diligentiae TVAE prorsus singularis  
fructus longe vberrimos. Inter præcipuas autem  
felicitatis TVAE partes jure meritoque refero, quod  
TIBI Numen benignissimum & florentissimam, &  
omni virtutem laude ornatissimam concederit fami-  
liam. Taceo nunc beatas jamdum filias, quarum  
una Celeberrimo RAMBACHIO, altera vero Plurimi-  
num Reuerendo BROEMELIO ex animi sententia  
nupserat. Filios saltem in præsenti in medium pro-  
duco, quorum *natus maximus*, Collega meus coniunctissimus, locum Professoris Mathematicorum Ordinarii  
apud nos magna cum laude non solum tuetur, sed  
etiam de philosophia naturali magis magisque in dies  
optime meretur. *Alter*, qui hunc proxime sequitur, Inspector Lohburgensis meritissimus, Ecclesiarum ad hanc dioecesin spectantium salutem indefesso  
studio omnique cura promouere allaborat. *Tertius*  
& Consulatum & Syndicatum ciuitatis Landsbergensis  
magno cum honore gerit. *Quartus* in ordine, Ec-  
clesiae Laublingensis & Boesedauiensis Pastor, cœtus  
sibi concreditos & vita & doctrina salutari ad beatas  
fedes deducere contendit. *Quintus* tandem ex priori  
matrimonio prognatus, cuius gratia potissimum  
has litteras ad TE dare volui, summos in arte Me-  
dica honores, summa cum laude nunc capessit.  
*Sextus* iam supereft, vnicus ex posteriori matrimo-  
nio filius, qui cum nuper modo ipsum Berolinum,  
summam iuris & prudentiae, scholam adierit, ma-  
gnam omnino spem facit, fore, vt & hic aliquando  
& REGI & patriae magno cum fructu inferire pos-  
sit. O! felicem tot liberorum de Ecclesia & Repu-  
blica

Hilicabene merentium Parentem! gratulor TIBI hanc  
 felicitatem, paucissimis certe parentibus communem,  
 VIR SVMME VENERANDE! gratulor  
 quoque florentissimae TVAE familiae nouos ipsos  
 honores, quibus CLARISSIMVS, MIHIQVE A-  
 MICISSIMVS DOMINVS CANDIDATVS eam  
 proxime augebit. Faxit supremus Archiater, vt  
 IPSE, hostibus humanae sanitatis fortiter profliga-  
 tis, saluus semper atque incolumis viuat, vigeat, flo-  
 reat. Scrib. in Acad. Fridericana d. XXI. Octobris,  
 CIICCCCCXIX.

**T**une reapse petis cathedram, DOCTISSIME LANGI,  
 Quam sibi sacratam vendicat Hippocrates:  
 Castraque, sic removes post terga, augusta Parentis,  
 Quæ modo lixarum perfida turba fugit?  
 Hujus consilii nossem vix pallia justa,  
 Eventus prosper ni rata facta darer.  
 Ipsi quippe regente DEO tu castra relinquis  
 Hæc Patris, ut tardans hic ea desereret.  
 Quo magis hic, inquam, tarde seroque relinquat  
 Castra, sacramque aciem, castra teris medica.  
 Quod denum docuit nos experientia, primo  
 Perfristis, verum postea lætificans.  
 Namque subit mentem nostram nunc tempus acerbum,  
 Quo Genitor charus strata Erebi premeret.  
 Famaque quo præcox longè per Teutonis arva  
 Spargeret, hunc fatis succubuisse fuis.  
 Quæ famæ consternantis quo nuncia vana  
 Facta sit, ac mendax, cui rogo debuimus?  
 Imprimis equidem magno placidoque DEO, qui  
 Justorum vanas non finit esse preces:

Post

Post etiam miris studiis curisque medentum,  
Inque his debentur multa TUIS opibus.  
Indefessus enim morbis presso Genitori  
Tu conjunctus eras auxilio medico.  
Tunc, artis Jatromystarum quod condita vela  
Jam perlustraris, signa corusca dabus.  
Indeque TE merito sibimet despondet Hygea,  
Sponte TIBI mitrae tegmina rubra ferens.  
Hisque comas cinetura TUAS, perlata reclamat:  
LANGIUS hic doctus Doctor erit medicus.  
O charam graramque Deam! quæ pectora nostra  
Sic perfusa facit lœtitia, hocce die.  
Hocce die, cuius per se sunt lumina grata,  
Secum namque vehunt annua festa Patris.  
Quæ, quantominus ante TIBI sperata fuere,  
Hoc mage nunc mulcent pectora lœta TIBI.  
Illaque non ritu vulgi nunc concelebranda  
Esse, putas recte, sed decoranda mitra.  
Scilicet, ut, quem TU gaudes, per TE quoque capter  
Gaudia: sicque piæ mentis agis genitum.  
Ipse bonus cœli rector, duplaria laeta  
Qui dedit haec nobis, hic ea multiplicet.  
Ille Patrem servet salvum TIBI, TEque Parenti,  
Servet eum nobis, TEque rei medice.  
Postremo mea Musa TIBI gratatur honores,  
Utque sibi faveas, optat. Amice Vale!

Hac lexitiam suam, observantiam  
que testaturus, scribebat  
JOH. JOACHIM. MÜNCH,  
Obisfelda-Magdeb.  
Seminarii Theologici Inspector.



Halle, Diss., 1739 (1)

ULB Halle  
003 254 070

3





